



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Annales Heremi Dei Parae Matris Monasterii In Helvetia Ordinis S. Benedicti**

**Hartmann, Christoph**

**Friburgi Brisgouiae, 1612**

Henricvs III. Ex Baronibvs A Brandisio Abbas Heremitarvm XXIV. Et  
Princeps Imperii Septimvs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38545**



HEINRICVS III. EX  
BARONIBVS A BRAN-  
DISIO ABBAS HEREMITA-  
RVM XXIV. ET PRINCEPS  
IMPERII SEPTIMVS.

A. D. N.

CL. CCC  
XLIX.

**K**ALENDIS Februarij anno nono & quadrage-  
fimo iterum Francofurti consilium de nouo Im-  
per. fecerunt antediſti Electores, damnataque  
ſecundo Caroli electione, Guntherum Comi-  
tem à Schuartzenburgo Thuringum, regem dixerunt, for-  
tem & imperterritum, magnæque virtutis principem. Ac-  
cepta is electione, magno exercitu, maturè Francofurtum  
venit, caſtraque apud urbem hebdomadas ſex, dies tres, ve-  
teri conſuetudine tenuit, mox admiſſus, & Cæſar ſalutatus,

Aquisgra-

Aquisgranum recta tetendit, ibidemque ab Heinrico Maguntiacēsi antistite coronam accepit. Plures ex eo ad ipsum vrbes defecere. Tum verò Carolus animo angi, & amicos, & clientes vndiquaq; accersere, implorare, opes & amicitias omni ex parte parare, vt Rupertum etiam Palatinum conciliaret, eius filia nuptias pacisci. Eodem mense, Tigurini Iudæos quoque anquisitos, sicuti plerisque in vrbus Heluetiæ, præter alia veneficia, professi sunt futoris se puerum quadriennem paullo antè subduxisse, aciculisque minutatim confossum interemisse, sanguinem ex eo hauustum in varia adhibuisse, postremò exanimatum corpusculum torrentis noui fori vado occuluisse, sepelisseque. Illud, iisdem diebus, torrentis cursu pene detectum repererat Valterus à Villa, cum grallis torrentem transmitteret, tum verò audito exitu, & causis, Magistratus, tamquam martyrio defunctum, iudicauere dignum, qui basilica Sanctimonialium, supra posita ara, tumularetur, mansitque eius memoria, & veneratio, dum prisca, & Romana ibidem pietas, & religio. Iudæi promiscuè flammis traditi, pauci, abiurato Iudaismo, seruari, è quibus vnus, paullo post, quarto scilicet Nonas Aprilis penitentia, an insania, domui suæ ignem subiecit, magnisq; è superioribus locis ingeminans clamoribus, se Iudæum mori, vxorem, liberosque, familiam vniuersam secum eo incendio extinxit, facili iactura, nisi iisdem flammis vltra quadraginta è vicinia ædes simul conflagrauissent. Ira hinc, & vltione, & quia magis, magisque inualefcebat contagium, quidquid Iudæorum hæctenus carceribus retinebatur supplicio traditum. Heinricus interea abbas rei domesticæ intentus, & liberandis Monasterij possessionibus, quas præteriti abbates inter bella, & per impendia hinc inde obligauerant, Rudolfo, & Luitolfo baronibus ab Arburgo centum viginti argenti marcas exsoluit, Argouiaque prædia, & redditus Monasterij qui eo præcio illis tenebantur, eorum ex dominio vindicauit. Dederunt barones literas suis & Thuringi à Brandisio baronis, & equitis Rudolphi foceri, & Heinrici consanguinei, sigillis firmatas quibus se

eam summam acceptis relatam, iuraque omnia, & præsentia ipsdem in bonis, & censibus abbati, & Heremitarum monasterio renunciabant, Sabbatho proximo ante D. Ioannis Baptistæ hoc anno. Cum prætor etiam Bremgartino Ioanne ab Eichiberg, & opidi publico conuenit, nomine prædij Valde supra opidum siti, multis conditionibus, quarum præcipuæ erant uti monasteriales in posterum immunes agant, omnium vectigalium, & porteriorum quæ apud Traiectum supra opidum, & pontem opidi pensitare mos obtinuit, modios ad hoc Communitas quotannis pendat monasterio octenos. Acta hæc xv 11. Kalend. Nouembres eodem hoc anno. At verò Guntherus Carolum regno exacturus, Francofurtum, ineunte Iulio, cum copijs redijt, paucisque diebus ibidem transactis, in morbum incidit, quo ingrauescente, legatos ad eum Carolus, quia longè subfequebatur, expediuit, qui rogarent dignitatem uti abdicaret, promissis viginti duabus argenti libris, & nonnullis in Thuringia opidis. Princeps legationis fuit Ludouicus Brandenburgensis, Carolo paullo antè per Palatinum reconciliatus. Is Guntherum, quamuis extremis haut longinquum, agrè ab regio titulo submouit. Sed ubi denique mors adfuit, & plerique electores consenserunt, rerum summam absque competitore, Carolus obtinuit, imperauitque annos deinceps nouem & viginti, si Imperij, ut volunt mercimonium adimas, multa cum laude. Eodem tempore Clemens pontifex Iubileum quinquagesimo quoque anno celebrandum constituit, Romæque, in sequentem, toto orbe Christiano, publicandum curauit. Ceterum ab initio sui principatus in multo maxima cura posuit abbas Henricus sui monasterij statum in pristinum splendorem reducere, prædia ut diximus, possessiones, redditus ab antecessoribus suis venditos, aut obligatos, precio restituto, recipere; in primis cum omnibus pacem, & amicitiam habere, maximè cum vicinis, & ante omnes, Suitensibus, cum quibus contentio de finibus ducentesimo quadagesimū annum iam excedebat. Idipsum etiam Suitenses maximopere contendebant, ut pote, qui

ob factas,

ob factas, inter eam limitaneam discordiam, aduersus Heremitas, & eorum subditos, sæpius prædationes, incendia, vulnera, captiuitates, sacrorum interdictione tenebantur, liberarique ea impensè cupiebant; quod, super alia incommoda, inuisos se, & abominabiles vicinis, & externis ad Heremum quotidie, diuersis ex partibus orbis, confluentibus, ob loci insignem religionem, & frequentiam, tamquam eius persecutores, & hostes haut obscure intelligebat. Super Vraniensium, & Siluaniorum qui eodem interdicto & confœderati, & auxiliares comprehendebantur immensum huius pacis desiderium, in eaque procuranda studium & laborem irremissum. Quamobrem multis vtrimque disputatis, postremo in Thuringum Disertini Abbatem pars vtraque compromiseret, facto iureiurando, eius iudicio, & sententia vtrimque staturos, nec ab ea se successoresque, & posteros, vllò vquam tempore, recessuros. Erat Thuringus in Heremo doctus, & educatus, & inde ad abbatiam Disertinensem, vt diximus, accitus qui proinde Heremitici Monasterij antiquitates, jura, priuilegia, prædia, possessiones, redditus, & fines, & postremo ex superioribus quoque contentionibus, & bellis, necessitates, & incommoda notissima habebat. Ortum verò trahebat ex baronibus Attinghusanis Communitatis Vraniensis, Suitensibus amicæ, & confederatæ, illis ideò, tamquam popularis, pronus, & amicus credebatur. Igitur, accepto arbitrio, nihil prius habuit quàm, anno quinquagesimo ingrediente, ad Heremum Disertino transire, arbitrationemque ex prudentiorum, quos in consilium adhibuerat, & suo ex animo quamprimum pronunciare, pacemque, & amicitiam inter partes tot temporum, & bellorum conuersiones, denique firmam, & perpetuam sancire, & stabilire. Et primo quidem feria II. post natalem diem Agnetis virginis martyris terminos posuit, finesque, qui hodie quoque obseruantur, pegit, dein in transgressores secando, cædendo, aut pascendo decreuit: hinc vtriusque partis nuncijs, aut legatis, qui de alterutra querellas, accusationes, postulata perferrent, fidem publicam, & securitatem

A. D. N.  
 CII. CCC  
 L.

constituit.

constituit. Postremò contra arbitratum si quid Suitenses commiserint, aut neglexerint, Abbatem & Heremitas in pristinum locum restituit, nullo alio ad Suitenses ex hoc arbitrio redeunte emolumento, nisi quod tamen antiquis ab interdictis liberi permaneant. Dederunt scripto & sigillis decretis Thuringi assensum & auctoritatem perpetuam Henricus abbas suo & totius Collegij nomine: Cunradus ab Iberg officialis suo & totius Communitatis, & Suitensium omnium rogatu Vranienses, & Siluanenses. Acta hæc in Heremitarum Monasterio die & anno supradictò, presentibus, & testimonium gestorum in vtramque partem perhibentibus, Hermanno abbate Fabariensi, Herdecco à Rechberg ordinis equitum S. Iohannis Hospitalis per Germaniam generali Magistro, Petro à Stoffele ordinis Theutonici Commendatore Tannenselsij, Henrico Biberò equite, & Tiguri præore, Hartmanno ab Heidegge equite, Henrico ab Ruseck barone, Eberhardo Mulnero Tigurino: Cõmunitatum quoque vicinarum legatis, Vraniæ, Rudolfo barone ab Schuinsberg, Henrico à Mos, Ioanne Majore ab Oerteschuelde: Siluanæ, Vlrico à Vvolfenchies officiali Vernerò à Rutti, Berchtoldo à Zug: Lucernæ, Nicolao à Gundelfinge, Henrico Stannero, multis præterea Tigurinis, & vtriusque ordinis alijs viris. Eodem die, Abbas Henricus omnes Confederatas Communitates ab Interdictò exsoluit, præterita omnia bella, dissidia, damna, perpetua obliuione aboleuit: Eius rei caussa ad quoscumque voluerint episcopos, principes, iudices, testes literas dare promisit. Promisere vicissim Suitenses sese intra diem octauum, quam ab prædictò Abbate Disertino, eiusuè nuncio, aut antistite Henrico & eius Successoribus moniti fuerint, de quacumque orta ex filuis, pascuis, locis limitarijs controuersia, missuros qui iure certent, & iudicium in posterum accipiant, absque dolo malo. Hic finis fuit tot annorum dissensionis, & inimicitiarum, magno vtriusque partis emolumento, & Thuringi eximia dexteritate, et Henrici singulari laude. Per idem tempus Tigurini, qui nondum spatium relegationis ex proximis pa-

ctis con-

etis conuentis impleuerant, & extra mœnia exulabant, suorum impatientia, & aduersariorum odio, simul quia se etiam in urbem admissos publicis honoribus perpetuo priuatos intelligebant, coniurationem inierunt, adducto, etiam & persuaso Ioanne Habsburgiensi quem ob præteritis bellis accepta damna, & ante omnia paterni exitij ab ea vrbe memoria, nondum satis placatum sciebant. Et eius occupandæ per traditionem consilia cæperunt. Conditions inter se fuerunt, quibus suis eos opibus restitutum Comes pristinae dignitati pollicebatur, illi æs eius alienum grande exsolutos. Nox facinori dicta, quæ diem Apostoli Mathiæ antecedit. Sed, ea nocte, tanta Brunneri præfecti urbis, & reliquorum ciuium vigilantia, & fortitudo enituit, vt non solum hostes, qui plateas jam aliquot tenebant, armis profligauerint, sed Ioannem etiam cum alijs nobilibus in potestatem redegerint, plurimos trucidauerint. Versa hinc in Habsburgiensis dominia Tigurinorum arma, & Rapersvilla arx, & opidum, tertio obsidionis die, saluis priuilegijs, dedita, firmum vtrique præsidium impositum: Contra Rudolfus, & Gotfridus, qui Lauffenbergæ agebant, Ioannis fratres, in Tigurinorum merces, & possessiones Valdneros Elfatæ nobiles impulerunt, Argentinensibus quoque & Basiliensibus in partes traductis. Sed easdem duas Ciuitates postea maximopere acerbarunt Tigurini, posteaquam è Basiliensibus centum, Argentinenses septuaginta, qui per Angelicæ dedicationis memoriam, ad Heremum voti, & religionis causa venerant, in reditu, haut procul sua vrbe, interceperunt, et in custodiam tradidere. Inducias tamen Agnes Austriaca in hebdomadas paucas interposuit. Vbi finierunt, Rapersvillam veterem inter lacum, et Altendorff eius ripæ vicum, molli, & amœno colle sitam, cum suis Brunnerus circumfedit. Addiderunt se auxiliares Constantienses, S. Gallenses, alij ex fœdere. Neque vltra quartum diem præfidiarj numero triginta obsidionem tolerauerunt. Deditio facta, ea conditione, vt ne qua Castro iniuria fiat, ipsum tamen funditus Tigurini euerterunt, nihil, quod eius me-

moriam

moriam retineat, nisi æde D. Ioannis relicta. Comitatus omnes incolæ, vt & Marchiæ, & vallis vegi sacramento adacti. Maturatum ex eo nouæ quoque Rapersvillæ, quàm paullo ante, vt diximus, deditioe etiam obtinuerant, excidium. Et plerique primo ciuium quos opulencia, auctas-  
 cio, & auctoritas commendabant, specie tuendæ vrbs Tigurum transportati, tum verò arx demolita, mœnia euerfa, fossæ expletæ, ignis coniectus in tecta. Opidum pulcherrimum, & amœnissimum contra fidem funditus euerfum. Illius opidi maior pars ad Heremitas pertinebat, pauca abbas S. Galli sibi vindicabat. Eorum beneficio, & feudo Comitatus primò Rapersvillenses inde nominati rexerant, postremò Habsburgenses matrimonio obtinuerant, vt & Rapersvillam veterem quæ pariter proprietate & iure fiduciario Heremitarum erat, vt & Comitatus pene vniuersus. Noua in Rapersvilla palatium abbatibus splendidum habebant, sæpiusque illic agitabant, maximè posteaquam Habsburgenses, coluerunt. Sed eo facto Tigurini maximam sibi non apud nobiles solum, sed etiam vicinas vrbes Imperiales inuidiam concitarunt, neque dubium postea fuit quin Habsburgensium propinquorum & consanguineorum causam & tutelam suscepturus Albertus dux Austriæ esset. Fine anni, tandem Henricus abbas incorporationem Ecclesiæ Riegol in Brisacia jam olim ab Othone I. Imper. concessæ, ab Vinco Constant. episcopo, & eius Capitulo impetrauit, ostensis, & probatis, quibus Monasterium premebatur necessitatibus, ære alieno ab antecessoribus suis contracto: in hospites, & peregrinantes in præsentia sumtu, & impensis. Viricus episcopus suo, & Capitulo nomine literas facti testimonio dedit, Constantiæ 11. Nonas Decembris.

A. D. N.  
 CIO. CCC.  
 LI.

Anno quinquagesimo primo, cum aduersum se bellum vndique gliscere Tigurini animaduertent, & jam in Argouiam dux Albertus venisset, vt opes suas quoque firment, de amicitia cum tribus Communitatibus Vrania, Suetia, Siluania, & Lucernensibus contrahenda agitare ceperunt, iuraruntque foedus inter se perpetuum, natali die Vald-  
 burgis, in-



burgis, ineunte Majo. In ead Albertum cum muneribus legatos misere, qui eius aduentum gratularentur, & facta hactenus excusarent. Sed cum excusationem dux refutaret, nisi veterem Rapersvillam & cetera restituerent, bellum movit, Tigurumque obsedit. Commissa tum arbitris controversia, transactum videbatur, nisi, acceptis utrimque arbitrationis capitibus Ioannem Habsburgium tamen e custodia dimittere petenti Alberto Tigurini negassent. Igitur resumtum utrimque acerrimum bellum, cuncta ante Tigurum vastata, & incensa. Tigurini vicissim, vocatis in auxilium confederatis, Glaronensium vallem occuparunt, sacramentoque adactos Glaronenses in fœderis perpetui societatem susceperunt. Relicta postea suæ urbis confederatis custodia, versus Badam, unde frequentiores excursiones fiebant, copias Tigurini duxerunt, cum Austriacis apud Tetuillam vicum VII. Kal. Ianuarij anni insequentis conflixerunt, viceruntque, ingenti periculo, & labore. Unde vota publice Tiguri suscepta, & in memoriam, perpetuamque gratitudinem, ad Heremum Virginis Matris supplicatio, quam maiorem vocarunt, decreta, postridie Pentecostes singulis annis obeunda, in qua ex familia qualibet vnus virilis sexus interesset, qui iam sacrosanctæ Eucharistiæ participes fuisset. Virorum numerus, super fœminarum, quæ sponte comitabantur, ingentem multitudinem, plerumque ad mille octingentos peruenit. Nec finijt nisi vna cum antiqua, & vera, superiori seculo, apud eos religione, & pietate. Et deinceps variè, pluribus locis, pugnatum victoria modo in illam, nunc in istam partem inclinante. Sub idem tempus vita egressus est Burcardus nobilis ab Hohenfels arcis nouæ, qui multa Heremitarum feuda, & beneficia habuerat. Ea omnia contulit Henricus abbas cognato suo Eberhardo Comiti Nellenburgensi seniori Hegoitiæ Landgrauio, quorum ipse sacramentum præstitit, promittitque se, & posteros, quam idem Burcardus habuerat, præfecturam, cum fide exercituros; Monasterij ea in præfectura subditos in sua protectione habituros; illorum instituta, & le-

A. D. N.

C19. CCC

LII.

ges obseruaturos absq; dolo malo. Abbatem eius successores, nulla in re, aut consuetudine impedituros. Horum testimonio literas dedit Comes Stockach feria vi. post ascensionem Domini hoc anno. Obsederant interea confederati Tugium, deditioemq; fecerant decimo quinto die Tugienfes, Austriae familiae iure recepto. Sed Albertus, omnibus copijs iterum Tigurum, ingrediente Augusto, obsedit, oppugnauitque aliquot dies, donec marchio Brandenburgensis Ludouicus de pace egit, conditionesque tulit, quibus utrimque probatis, obsidio soluta, captiui liberati, & inter eos Ioanes Habsburgiensis post annum secundum, menses sex, quam in turrin Vellenbergam condiderant. Tugium, & Glarona duci restituta. Sexto idus Nouembris sequenti obiit egregius ille antistes Thuringus ab Attinghulfe abbas Disertinensis pius, prudens, pacificus. Desideratus Idibus eiusdem mensis Clemens vi. pontifex, successorem habuit Innocentium vi. qui annos ix. menses vii. dies vii. praesedit. Postremo & deposuit vitam Vricus Constantiensis Episcopus, & in eius locum sublectus Ioannes tertius a Vindeck Schafhusia oriundus, Alberti ducis Cancellarius, eius maximè fauore, & ambitu. Confirmationem ab Innocentio obtinuit vicesimo tertio Decemb. praesuit annos tres, menses sex. Anno quinquagesimo tertio, mense septembri Carolus Vormatiae principum Imperij frequentem conuentum habuit, indeq; per Elsatiam, & Rheno aduerso, rogatu ducis Alberti, quia confederati pacta conuenta detrectare videbantur, Tigurum venit, vbi, cum dies paucos per pacis negotiationem impedisset, Heremum religionis causa inuisit, multis cum principibus, & Episcopis, ducēte & comitante Rudolfo Brunno Tigurino praefecto. Et quia exterior basilica S. Mauritij, & sociorum titulo consecrata erat, & Benno ex prima Burgundiae Regum stirpe Heremum maximè post MEGINRADVM coluerat, celebratq;, dimidiatum S. Mauritij brachium, & dimidiatum item S. Sigismundi Burgundiae regis caput, quondam Agauni acceptas dono reliquias, aliasque plures abbati Heinricho, suae erga

Diuos

A. D. N.

CLX.  
CCC.  
LIII.

Diuos antedictos, & Monasterium deuotionis, & obseruan-  
tiæ Cæsar venerabundus obtulit, pecuniæque in vsum com-  
munem bonam summam, thesaurarium agente eo tempo-  
re, Heinrico ex nobilibus à Ligritia. Ab Heremo Constanti-  
am concessit, vbi Heinrici abbatis Regalia confirmauit,  
vi. Nonas Octobris. Ceremonias eo in actu publico ce-  
lebratas describit ipse in diplomate Cæsar, eleganter &  
quàm breuiter.

*CAROLVS DEI gratia Romanorum semper Au-  
gustus, & Bohemia Rex. Uniuersis presentes literas inspe-  
cturis, harum serie patefiat. Quod cum venerabilis Heinri-  
cus abbas Monasterij loci Heremitarum ordinis sancti Bene-  
dicti Constantiensis diœcesis Princeps & deuotus noster di-  
lectus, feuda sua quæ ratione sui Monasterij à nobis, & sacro  
Romano Imperio habere dinoscitur, à Regia Maiestate no-  
stra susceperit, nobisq; præfatis prius corporali ad sancta DEI  
Euangelia, & tactis præcordijs suis, prout moris est, iuramen-  
to, fidelitatis homagium de huiusmodi feudis suis duxerit fa-  
ciendum: Nos præfatum Abbatem, & Principem nostrum,  
de prædictis feudis suis, per sceptrum nostrum regale in manus  
suas traditum sollempniter inuestiuimus, plenam temporalium  
administrationem cum iurisdictione plenariè sibi concedentes  
presentium sub nostra Maiestatis sigillo testimonio litera-  
rum. Datum Constantia Anno Domini Millesimo Trecent-  
esimo, Quinquagesimo tertio. Indictione sextâ, secundâ  
die mensis Octobris, Regnorum nostrorum anno octauo.*

Sed ante omnia eodem die, & loco Rudolphi primi Re-  
gis priuilegium de Principatu sua quoq; auctoritate, ratum  
habuit, vt ex subiectis perspicere licet.

*CAROLVS DEI GRATIA Romanorū Rex sem-  
per Augustus, & Bohemia Rex. Vniuersis presentes lite-  
ras inspturis harum serie patefiat. Quod accedens Ma-  
iestatis nostra presentiam honorabilis Heinricus Abbas Mo-  
nasterij Heremitarum ordinis sancti Benedicti Constantien-  
sis diœcesis deuotus noster dilectus, quasdam literas continētia*

*infra scripta clara memoria quondam Rudolphi Romanorum legis predecessoris nostri, Celsitudini nostrae exhibuit, nobisque deuotos & humiliter supplicauit, ut praedictas literas & omnia contenta in eisdem de mansuetudinis nostrae clementia approbare, innouare, & confirmare gratiosius dignaremur. Quarum tenor sequitur in hac verba.*

Rudolfus DEI gratia Romanorum Rex semper Augustus Vniuersis sacri Imperij fidelibus ad quos praesens scriptum peruenerit gratiam suam, & omne bonum. Stipati ceterum multiplici militum principum. etc. Datum Thuregi septimo Kalend. Februarij, Indictione secunda, Regni nostri Anno primo.

*Nos itaque praedicti Abbatis ingentis ardoris affectum quem semper ad nostram gessit, & gerit Celsitudinem, internam mentis consideratione pensantes, ipsiusque rationabilibus & iustis supplicationibus benignius annuentes, praefatas literas, & omnia contenta in eisdem prout rite, & prouide processerunt, & prout iuribus non derogant alienis, de plenitudine regia potestatis, & ex certa nostra scientia approbamus, ratificamus, innouamus, & praesentis scripti patrocinio confirmamus. In cuius rei testimonium praesentes literas scribi, & nostrae Maiestatis sigilli munimine fecimus communiri. Datum Constantia Anno Domini Millesimo Trecentesimo Quinquagesimo tertio, Indictione sexta vi. Non. Octobr. Regnorum nostrorum anno octauo.*

A. D. N.  
CII. CCC.  
LIV.

Regni sui annum octauum constituit, à prima sua electione numerum trahēs, & biennium illud Imperij, quod Ludouicus vixit, sibi vindicans. Anno sequenti, primo vere, rursus Tigurum Caesar venit, ibique multa alia quae ad pacem, & tranquillitatem vtriusque partis erant, tentauit. Demum postulauit dedi sibi totius litis arbitrationem. Cum dux ultro praestitisset, confederati, nisi saluis foederibus, recusassent, ira, & indignatione bellum indixit, & vi. Kalend. Augusti cum Alberto & plerisque Imperij principibus & Ciuitatibus Tigurum obsidione cinxit. Redacti ad extrema

Tigurini

Tigurini Imperiali è mœnibus sublato vexillo tamquam de-  
 ditionem postulantes, & suborta interim in castris conten-  
 tione, & discordia, relicta obsidione, Rheno Cæsar secundo,  
 Spiram concessit, expeditionemq; Italicensem in annum se-  
 quentem pronunciauit. Albertus acceptam ab Comite Io-  
 anne cum Comitatu Raperfuillam reedificare cæpit, adhi-  
 bitis præsentī mercede omnibus, qui operari scirent, aut vel-  
 lent, paucisq; diebus mœnia instaurauit, multas domos lig-  
 neas in vsum extruxit, & quo lubentiores Rapersvillenses  
 redderet, & quicumq; habitare vellent paratiores, magnas &  
 nouas immunitates omnibus dedit, adeoq; quidquid cõfer-  
 re potuit in bonum & cõmodum, decus & emolumentũ con-  
 ditoris noui, & patroni beniuolētis, & munifici officio de-  
 functus præstitit. Arcem quoq; eadem, qua prius fuerat, for-  
 ma, & amplitudine muniri iussit. Firmatisque contra con-  
 federatos vicinis opidis, & castellis in Austriam recessit. An-  
 no quinto & quinquagesimo Carolus Cæsar suscepta, vt in-  
 stituerat, Italiae expeditione, pridie Nonas Ianuarij Medio-  
 lanum cum coniuge, & pleraq; Germaniæ, & Bohemiæ no-  
 bilitate peruenit. Octauo Idus eiusdē mensis die tribus Ma-  
 gis consecrato in S. Ambrosij æde coronā ab Roberto archi-  
 episcopo accepit. Inde, continuatis Romam versus itine-  
 ribus, Nonis Aprilis in quas festiuitas paschatis inciderat,  
 ab Innocentij pontificis legatis Imperialia ornamenta in vr-  
 be suscepit, Imperator eo nomine quartus, rectaque eandē  
 obseruans viam per Athesinos in Germaniam redijt. Interea  
 duodecimo Kalend. Februarij, in palatio, inter canandum,  
 foedè trucidatus Ioannes Constant. episcopus, præsentibus  
 Egone ab Emps, Valtero à Stoffele, alijs pluribus nobilibus,  
 & Constantiæ ciuibus. Antistes pius, & integer, & eo non-  
 nullis suspectus. Cũ cõfoderetur verbum aliud nõ effudit,  
 quàm *Maria virgo pro tuo Capellano apud filium intercede.*  
 Successit in episcopali dignitate Leopoldus Canonicus Bam-  
 bergensis, fauore Caroli Imper. præfuitq; annos duos, men-  
 ses tres. Sed vbi in Germaniam redijt Carolus, & audiuit  
 Austriacos inter, & confederatos bellum recrudescere, sum-

A. D. N.

CLV.  
 CCC.  
 LV.

A. D. X.

CIC.  
CCC.  
LVI.

ta rursus eius componendi cura, partes ad se Ratisbonam vocavit, multisque vtriusque exagitatis, ad postremum pacem conclusit, omnibus, quæ Confoederati occupauerant, Alberto redditis, fœdere tamen, quo etiam Glaronenses, & Tugij tenerentur, permanente: iure solùm, & redditibus Austriacis exceptis, & pœna Majestatis in infractores constituta, v. III. kal. Augusti Ratisbonæ. Anni Sexti & quinquagesimi initio, abbas Henricus, considerato plures peregrinantium è longinquis regionibus ad Heremum vota sua, & desideria deferre, qui proinde domum inde maturarent, neque id tamen absque diuinorum officiorum participatione ferme auderent aut vellet, vt hac quoque in parte omnibus consuleret, neque cuiquam remoræ esset, sed hanc quoque animis pijs consolationem relinqueret, de totius Collegij sententia sacrum matutinum ad exortum auroræ in æde DEIPARÆ Matris instituit, & sacerdotem ad id singularem honorario amplo, & magnifico, nullis alijs legibus adstrictum, quàm sua ad horas Canonicas præsentia, exceptis matutinis, in quibus interesse extra dies Dominicis non tenetur, quibus diebus dominicis hebdomadario de primo illo Sacratissima in æde sacrificio incumbit cura. Perpetuum huius rei factum Instrumentum vtriusque & Henrici, & Collegij sigillis confirmatum, Sabbatho post Epiphaniam Domini eo, quo supra, anno.

A. D. N.

CIC.  
CCC.  
LVII.

Idem annus memorabilis, an miserabilis terræ motu horredo & exitiabili fuit. Decimo enim quinto kal. Nouemb. D. Lucæ Euangelistæ consecrato, cælo vesperscete, tremere solum validè occæpit, sed circa mediam noctem tum verò ingenti fragore omnia concuti, quassarique, cum decies antea paucas intra horas, terra mouisset. Ultra sex & quadraginta in Episcopatu Basiliensi, in constantiensi octo & triginta arces euerse, opida nonnulla, & urbium eius tractus clarissima Basilea pene tota corruit: supra mortales mille enecati, postremò templa, & ædium sacrarum turres in finitæ, & quidquid pene fornicatum fuit. Vltimum malorum fuit inde seua pestilentia. Pridie Idus Mal. anni sequentis rursus grauitè concussa terra est maximè per Heluetiam, Elsatiam & tractum

Rhenanum.

Rhenanum. Die sequenti, mortem obiit Leopoldus Constant. episcopus. In cuius locum non modo vnanimi Canonicorum suffragio, sed Innocentij quoq; pontificis auctoritate, & consilio electus episcopus Heremitarum abbas Henricus, tanta de eius integritate, & prudentia apud omnes longè, latèq; valuerat opinio. Episcopatum rexit singulari cum laude annos viginti quinque. Non minor in ea dignitate Heremitarum fautor, & promotor, quam cum abbatem gereret, curator diligens, & magnus amator, vt suis locis ostendemus. Fuerunt sub eo, & postea, insigni in Heremo nobilitate, & virtute monachi, præcipuè Vlricus de Kramburgo, Rudolfus de Cimbria, Petrus de VVolhaufe, Ioannes de Rusecka, Nicolaus de Guttenburgo, Rudolfus de Ponte, Marquardus de Grueninberga præpositus Faræ, Rudolfus de Bunsang, Arnoldus de Erinchinge & VVeissenburgo, Rudolfus de Luna, omnes barones, & clarissimis familijs oriundi, super alios multos notæ, & antiquæ nobilitatis, in quibus Henricus de Ligitia thesaurarius. Carolus Imper. petente Henrico, Episcopatus Constantiensis priuilegia confirmauit, quibus in priuilegijs illi pene totam Constantiam subiecit. Vnde postea continuæ fermè inter ipsum, & opidanos de iurisdictione lites, & contentiones. Post eius electionem cum extemplo Principatum Heremi resignasset, Collegæ Nicolaum ex Baronibus à Guttenburgo prope Harciniam Castro, Abbatem nominarunt. Non me latet, plerosque, qui de Abbatum Heremi successione aliquid scripserunt, aut ediderunt, Nicolaum hunc post Marquardum, qui ei successit, catalogo inserere. At verò Henrico Nicolaum proximè adlectum, Marquardum post Nicolaum ex Instrumentis post clarum erit. Exeunte anno, in Heluetiam ex Austria venit Dux Rudolfus Alberti primogenitus, patris in superiori Germania vicarius. Schaffhausiæ aliquandiu substitit, dein Rhinfeldæ.